DE
SIMILITUDINE ET DISSIMILITUDINE
SCARLATINAE, RUBEOLARUM, MORBILLORUM, TYPHI.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AUCTORITATE ET CONSENSU GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

AD GRADUM

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE

RITE ASSEQUENDUM

SCRIPSIT ATQUE

DIE III. MENSIS APRILIS ANNI MDCCCXLIV

PUBLICE DEFENDET

HENRICUS GUILELMUS TILGEN,

RHENANUS.

Opponentibus:

C. VELTEN, med. et chir. Dr. pract.
A. WOERNER, med. et chir. Cand.
P. KERZ, med. et chir. Cand.

BONNAE,

TYPIS F. P. LECHNERI.

MDCCCXLIV.

VIRO ILLUSTRISSIMO

FRIDERICO NASSE,

MEDICINAE, CHIRURGIAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORI, REI MEDICAE CONSILIARIO INTIMO, PROFESSORE PUBL. ORD, DIRECTORI CLINICI MEDICI BONNENSIS, SOCIETAT. LITT. COMPLUR. SODALI, RQUITI ETC. ETC.

PRAECEPTORI MERITISSIMO SUMMEQUE VENERANDO

NEC NON

PATRI OPTIMO, DILECTISSIMO

LUDOVICO TILGEN,

MED. ET CHIRURG. DOCTORI, EQUITI ETC.

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE VULT

D. D. D.

AUCTOR.

De similitudine et dissimilitudine scarlatinae, morbillorum, rubeolarum, typhi

ad stadium irritationis s. invasionis.

---

§. I.

Hocce scarlatinae stadium indole non constanti praeditum esse solet. Tunc enim plures per dies nulla nisi symptemata catarrhalia cernuntur, tunc vero repente fere homines vehementi corripiuntur febre moxque deinde exanthemate teguntur. Signa, quae scarlatina in eodem praebet, haec esse solent:

Scarlatina affecti vexantur dolore capitis obtuso ac temulentia, horripilationibus vagis vel horroribus, qui in dorso praecipue sentiuntur, quibus mox calor magnus et urens, turgor cutis universalis, cutis cicca, calida, pulsus valde acceleratus (frequentissimus) succedunt. Oris cava, fauces praesertimque tonsillae arent, intumescunt, dolent et valde rubescunt, unde variae deglutiendi loquendique difficultates oriuntur. Lingua tunc albida, crassa, tenaci materie est obtecta, quae si ablata est, mox in ea denuo cernitur, tunc rubra, papillae eius prolongatae esse videntur, ut secundum Berndtii[1]) dicta tanquam setae promineant. Oculi nitent, rubent, lucem re-

1) Bemerkungen über das Scharlachfieber mit besonderer Rücksicht auf die im Jahre 1825—1826 in Greifswald und dessen Umgebung herrschend gewesene Epidemie. p. 12.

cusant, illacrymant. Plurimi de raucedine oris, tussicula molesta, titillatione narium conqueruntur. Nonnunquam dolor capitis gravis, anxietas, inquietudo, oppressio pectoris, nausea vel vomitus apparent. Omnia symptomata versus noctem vesperemve graviora fiunt, ut casus non raro inveniantur, in quibus cutis tanto ferveat aestu, ut ad 112 scalae Fahrenheitianae gradus adscendat. Perspiratio aegrorum iam nunc odorem adeo peculiarem spargit, ut nonnulli auctores ex eo solo saepe erumpentis exanthematis naturam se cognoscere contendant. Quod vero huius odoris similitudinem attinet, hunc Heimius acutissimus cum effluviis, qualia pergulae macellariorum, qui haleces, muria conditos, vel caseos vetustos vendunt, vel qualia etiam ferarum carnivorarum e. g. leonum, tigridum stabula e longinquo dissipant, conspirare dicit. Pfeufero testante, excretiones alvi et lotium odorem spargunt ei similem, quem aves tempore, quo iis pennae decidunt. Sundelini ex opinione et experientia scarlatinae decursus eo benignior esse solet, quo manifestior ille ab Heimio accurate descriptus odor animadvertitur. Huius stadii spatium indefinitum omnino est.

Morbillorum prima symptomata catarrhalia in membrana mucosa organorum respirationi servientium oculorumque, et quidem vehementiores, quam in scarlatina, in lucem veniunt. Aegrotantem titillatio, destillatio, oppilatio narium vexant. Ex iis profluit tenuis acerque liquor, crebra sternutamenta excitans, et quas faciei partes attingit, rubefaciens. Oculi rubent, ardent, punctionibus subinde pertunduntur, lucemque ita aversantur, ut vix aperiri queant. Quandoque palpebrae et glandulae submaxillares leviter intumescunt. Raro deest dolor obtusus in regione supraorbitali et frontali, raucedo, titillatio sensusque ardoris in ore ac decursu bronchorum, tussis sicca,

sonum fere metallicum edens. Ex auctoritate nonnullorum auctorum oculi eo minus afficiuntur, quo magis bronchi, et vice versa. Cutis sicca, calida, anserina, sitis magna, lingua albide obtecta, non vero sicca, appetitus ciborum diminutus seu deletus, oris sapor fatuus, alvus tarda, lotium rubrum esse solet. Nonnunquam etiam nausea, vomitus et alvi fluxus divexat. Febris, utut levis adpareat, semper ad tempus vespertinum cum pulsu duro, pleno, oppressione pectoris exacerbescit, denuo remittit tempore matutino sub cutis madore. Non raro est, ut quibusdam sanguinis e naribus abunde manet, quo caput oculique plerumque subleventur. Aura aegrorum acidula esse solet et tam acris, ut testante Mandtio oculos organaque respiratoria iniucunde molesteque afficiat. Haecce symptomata, nisi sub finem tertiae diei morbillorum eruptio contingat, producuntur utplurimum ad quartam usque diem, raro ad quintam. Rubeolae in primo stadio omnino eadem signa, nisi catarrhalia vehementiora appareant, quae scarlatina, prae se ferunt.

Typhus ab initio usque ad eruptionem exanthematis symptomata catarrhalia eadem, quae morbillis sunt propria, praebet. Quibus haec plus minusve apparentia accedunt, morbum per totum decursum magna ex parte comitantia: insignis totius corporis lassitudo, invincibilis ad motum inertia, propensitas ad somnum, dolor lumborum, dorsi, scapulae veluti rheumaticus, universos artus prope contundens, aut lancinans, qui nonnunquam tam acerbus est, ut aegri uno situ diu conquiescere nequeant, sed huc illuc iactentur, dolor capitis obtusus et gravedo, imprimis circa frontem et sinciput, cum dolorifica musculorum cervicis tensione fere coniuncti. Dolori capitis adiungitur vertigo, susurrus aurium ac tinnitus, mentis stupor et temulentia, qualis ab ebrietate vel narcoticorum

maioribus dosibus induci solet. Nonnullis etiam coma accedit, in aliis vigiliae et sopor alternatim sese excipiunt. Somnus est brevissimus, turbulentus, spectrisque interruptus, nec quidquam reficit. Facies plerisque tumet, rubet, qui rubor, nisi a principio adfuit, progressu saltem et praecipue circa eruptionem exanthematis in conspectum venit. Cutis plerisque est sicca, calida, quibusdam tactu acer et pungens; quandoque adeo temperata videtur, ut ad tactum fere subfrigida persentiatur, sitis magna, ardens, pulsus variabilis, tunc parvus, debilis, mollis, inaequalis, tunc magnus, durus, celer, frequens reperitur. Saepenumero tensio, dolor obtusus ad hypochondria, nausea ac vomitus aut absque saburrae gastricae indiciis, aut cum lingua albida, sapore fatuo, amaro, singultu, flatibus assiduis apparent. Alvus plerumque adstricta est, in multis a consuetudine non recedit. Circa quartam diem fere omnibus symptomatis vehementius urgentibus, saepe sanguis sponte e naribus profluit et cutis insolitum acquirit colorem, ruborem et turgorem. Quibus evenientibus, exanthema typhi mox erumpere solet.

Ad stadium eruptionis et florescentiae.

§. II.

Quae duo stadia propterea componam et describam, quod definiti limites inter eadem adsignari nequeant.

Exanthema scarlatinosum tempore et ordine non constanti, quandoque iam ad finem primae diei vel secundae, saepissime vero die tertia a morbi exordio erumpit, primo quidem in facie, collo, pectore et dorso, deinde in ab

domine, brachiis cruribusque, interdum paene simul in omnibus locis nominatis, casibus autem raris tam tarde, ut in superioribus corporis partibus iam evanescere inceperit, ubi in inferioribus nondum in conspectum venit. Erumpente exanthemate et iam erupto, febris vehementia ceteraque symptomata adhuc augentur, cutis sicca tanquam e prunis subiectis ardet, tumet, potissimum in facie, manibus et digitis, ut saepe nonnisi difficulter inflecti possint. Inflammatio faucium ad summum gradum adscendit; velum palatinum, tonsillae, lingua rubent, turgent ita, ut cibi magna tantum molestia et dolore vehementi, vel vix deglutiri possint indeque non raro periculum suffocationis minitentur. Non raro etiam fit, ut parietes narium eodem modo afficiantur, ut aer per nares vix intrare possit. Dolores vehementes, vagantes, lacerantes in artubus vexant aegrum modo saepe vix ferendo. Alvus frequentius adstricta quam soluta esse solet. Odor peculiaris scarlatinae melius post eruptionem, quam antea sentitur.

Exanthema ipsum varias formas praebet, quarum est frequentissima:

a) Plana seu laevigata.

Qua in forma ex innumerabilibus, parvis, rubris punctis formantur maculae irregulares, laeves, serratae magis, quam rotundae, non satis marginatae, caput aciculae vel lentem magnitudine aequantes, quae latius sese extendentes, atque diversis in locis inter se confluentes, omnem fere cutis superficiem rubore tunc aequali tunc inaequali et variegato suffundunt. Quae maculae hoc modo confluentes colorem initio laete rubrum, ubi iam aliquot per dies steterunt, e fusco rubrum praebent, panni coccinei instar seu cancrum fluviatilem coctum seu minium aequantem; maculae ipsae sub digito premente evanescunt, atque cutem

relinquunt albissimam, pressione vero sublata ab ambitu ad centrum redeunt.

b) Secunda scarlatinae forma miliaris nominatur.

In hac mox deinde, rarius aliquot temporis spatio, postquam exanthema scarlatinae laeve et vehementioribus quidem, quam solito fit, symptomatis apparuit, in maculis scarlatinosis raucedines saepe fere innumerabiles obveniunt, quae si diligenter inquiruntur, parvae, segregatae, nonnunquam dense constantes vesiculae miliaribus persimiles apparent, magnitudine semina papaveris albi vel granula sinapeos nigrae aequantes, vel rarioribus in casibus ad lentis magnitudinem attollentes, principio liquorem limpidum, tempore vero posteriori turbidum, flavescentem, materiei puriformi simillimum continent. Loci, ubi eaedem potissimum conspiciuntur, sunt abdomen et digiti. Non desunt etiam casus, in quibus exanthema ab initio eruptionis ex eiusmodi vesiculis constabat. Ex auctoritate a Pommeri in hac forma, etiamsi febris vehemens appareat, rarius quam laevi cerebri affectiones et morbi secundarii exoriuntur.

c) Tertia raro obveniens forma est bullosa seu pemphigoidea.

In hac bullae a magnitudine nucis avellanae ad nucis iuglandis magnitudinem et quod superest, formantur, aut cum secunda forma coniunctae, aut segregatae in laevi scarlatina, aut rarissimis in casibus nullum exanthema, sed solum bullae cernuntur. Quarum numerus ad viginti in facie, collo, artubus, obvenientium. Haec forma a multis autoribus visa et descripta est, inter quos Störk[1]), G. S.

---

1) Annal. med. II. p. 46.

Vogel[1]; Hildenbrand[2]; Reuss[3]) sunt nominandi. Casum sine exanthemate refert Schmidtmann[4]). „Semel vidi, inquit, quod cum exanthemate scarlatinoso plures bullae magnitudine nucis avellanae et iuglandis in cute erumperent. Soror huius aegrotae eodem tempore simplici febre scarlatina cum intenso cutis rubore laborabat. Et quod adhuc magis excitabat attentionem, earum fratri natu maiori eodem tempore, cum febre prehensus esset, loco exanthematis scarlatinae ultra viginti bullae dictae magnitudinis in pedibus, in tibiis et cruribus pullulabant. Quoniam nulla aderat angina, primo opinabar, quod solo pemphigo adfectus esset, sed plures dies post, cutis panniculatim solvebatur et integra cutis superficies oedemate turgebat, certo documento, quod hic morbus scarlatinus sub forma pemphigi delituerit."

d) Quarta rarissime observata est, scilicet:

Scarlatina granulata seu papillosa s. morbillosa; in qua maculis in scarlatinosis parvae, duriusculae tactu raucedines vel noduli, illis colore fusciore praediti, liquorem non continentes, facilius tactu quam visu, attolluntur[5]).

Stadium eruptionis, si regulariter decurrit, post horas duodecim est finitum, si autem minus, demum nonnunquam post aliquot dies finitur. Eruptione finita, exanthema per tres quatuorve dies floret, quo temporis stadio symptomata recensita non solum sine ullo decremento durare solent, sed etiam non raro vehementia adhuc adaugentur. Odor ille specificus, quem aegrorum materies perspira-

---

1) Handbuch der praktischen Arzneiwissenschaft. Vol. III.

2) Institutiones medico practicae. IV. tom. §. 661.

3) Wesen der Exantheme. Vol. III. p. 86.

4) Summa observationum medicarum e praxi triginta annorum depromtarum. IV. tom. p. 272.

5) Cf. Naumann, Handbuch der medicinischen Clinik. IV. Bd. p. 747.

bilis statim ab ineunte morbo spargit, hoc tempore adeo eminens evadit, ut a quovis medico sentiri liceat.

Rubeolarum exanthema erumpit die tertia vel quarta in integro corpore uno quasi ictu et aequali modo dispersum excepta facie, qua tunc paucum, tunc nullum apparet. Cuius duplex notatur forma; nunc enim maculae apparent laete rubrae principio, sequenti tempore e fusco rubrae, angulis obtusis et irregularibus, raro acutis vel rectis circumscriptae, diametro lineam unam vel unam cum dimidia metientes, per omnem decursum morbi discretae, etiamsi proximae constant; nunc vero maculae rubrae ambitum finibus non circumscriptum offerunt, initio minus linea una diametro continentes, panici miliaris seminis dissecti molem aequant, et cum talibus insignem similitudinem habent maculis, quales ab atramento rubro e calamo scriptorio demisso, in charta tenui et antea humectata relinquuntur, a centro versus ambitum sensim pallescentes. In morbo simplici et benigno exanthema rarum et distinctum, in graviori uberrime diffusum esse consuevit, ipsaeque maculae multo maiores, lineas duas fere aequantes invicem confluunt, atque iam altero ab eruptione die totius corporis ambitum ruberrimo et fere aequali colore tingunt, ut ambitus macularum non amplius discerni possit, et pauci tantum albi loci animadvertantur; nonnunquam etiam, erumpentibus maculis tota cutis superficies, immo vero faciei rubescit, ut exanthema scarlatinae simillimum appareat; quo casu vero uno vel aliquot diebus post rubor generalis evanescit, superstitibus solum rubeolarum maculis. Exanthema quum regulariter decurrit, laeve tactu est, neque superficiem cutis superat. Aestivo vero tempore, vel si rubeolis infecti medicaminibus valde aestuantibus cruciantur, vel loco calidissimo degere coguntur, vel febris gastrica cum iis coniuncta

est, non raro fit, ut exiguae vesiculae miliaribus similes asperam reddentes cutem, pauco tamen ac densiusculo albidoque latice impletae prorumpant. In locis digito impressis exanthematis cutis albescit, ocissime tamen eius rubor ex punctis genuinis rubris atque ab ambitu loci pressi versus medium redit. In aliis epidemiis illae vesiculae rarissime deerant, in aliis vero minimae aderant, ut nonnulli autores hac re ad opinionem ducerentur, rubeolas normali decursu decurrentes perpetuo iis instructas esse. Durante eruptionis opere increbrescere solent phaenomena primi stadii, imo et alia gravioris momenti haud raro superveniunt, uti deliria, convulsiones, angustiae pectoris aliaque. Postquam totum erupit exanthema, quod plurimum intra viginti quatuor horas fieri solet, per sex, vel etiam decem dies floret, quo tempore vehementia symptomatum anginosorum febriliumque valde diminuitur, nisi aliae morbosae conditiones ad rubeolas, si regulariter decurrunt, non pertinentes urgeant.

In morbillis circa quartam a morbi insultu diem, rarius antea vel postea, in facie, praesertim circa palpebras, genas, nasum, maculae parvae, rubrae, pulicum morsibus persimiles prodire incipiunt, quae paullatim numero et magnitudine adauctae et in racemos collectae, faciem vario modo et varia forma commaculant. Quae quidem maculae e parvulis quibusdam rubris papulis, haud longe ab invicem dissitis, cutis superficiem paululum excedentibus constant, quarum prominentia digito leviter admoto tactu potest deprehendi, licet oculorum longius remotorum aciem fere effugiat. A facie, quam primo occupant solam, sensim ad pectus, dorsum, ventrem, brachia, crura, sese diffundunt. Fere eae, quae trunco et artubus insident, latiores sunt, rubore se potius produnt, quam protuberante elatione, quamquam earum aliquae, si bene examinantur,

inaequalem asperamque cuticulam reddere nonnihil videantur. In quibus locis cutis transpiratio est largissima, uti in foveis axillaribus, fossis poplitaeis, regionibus inguinalibus, vola manuum et planta pedum, maculae minimae, vel paucissimae cernuntur. Capillitium earum immunis esse solet. Quaeque macula diametro continens lineam unam ad lineas duas ex observationibus Hildenbrandii figuram rotundam, vel potius ellipticam, qualis est seminibus lini propria, offert, e qua observante primum Wedekindio [1]) pilus pertenuis prominet, oculis nudis aegre, melius armatis detegendus, quod vero ex aliis observationibus plurimis in casibus, minime autem omnibus evenit [2]). Papulae efformatae laete rubent, nullum laticem recondunt ambituque definito non circumdantur, sed in medio rubriore colore praeditae, ambitum versus rubore sensim pallescente, in colorem cutis nativum abeunt. Quae quum aequali modo in corporis superficie nunquam divulgari soleant, sed singulis locis catervatim unitae appareant, aliis parvo solum numero adsint, vel prorsus desint, sibi vicinae multis in locis confluentes, observante Willano, figuras semicirculares efformant, cute inter has per amplas interdum plagas colorem genuinum non variante.

Maculae descriptae sub digito premente ruborem, uti Heimius observavit, non omnem amittunt, atque qui pressu evanuit, multo celerius quam in scarlatina at rubeolis denuo pressione cessante in conspectum venit. Odorem peculiarem, quem hoc tempore potissimum halitus et transpiratio aegroti spargit, in principio subdulcis, serius acidulus sentitur, atque observante Heimio similis est ei, quem plumae anserinae recens evulsae, vel anseres modo

1) Ueber die Masern. In Röschlaub Magazin. Band IV. No. 6. p. 248.

2) Naumann: l. c. IV. Bd. p. 668,

mactatae spargunt. Quo gravior est febris in morbillis, eo uberior eorum eruptio cernitur, qua vero peracta, symptomata catarrhalia et febrilia minuuntur, vel sedantur. Imprimis calor acer, delirium, vomitus, spasmi aliaque signa, quae adsunt, si morbilli cum morbis organorum solito non affectorum complicati sunt, eruptione finita mitigantur. Tussis molestissima solito eadem remanet, eiusque ope plerumque excreatur magna sputorum copia cum magno aegroti levamine. Non raro fit, ut nunc alvi fluxus accedat, a quo aliquantum quoque levaminis fertur. Eruptio exanthematis intra viginti quatuor horas finita atque deinde per tres circiter dies persistere solet; ergo a die quinta ad octavam a primo morbi exordio.

Exanthema typhosum (cui etiam est nomen purpurae typhosae, petechiarum primariarum, roseolae typhosae) ab alio autorum gravissimi momenti fere alio modo describitur, cuius rei causa requirenda esse videtur et in observatione plus minusve accurata et attenta, observandique facultate scriptorum, et in conditione cutis, et in modis diversis formisque, quibus non solum in hominibus diversa temperie et constitutione praeditis, sed etiam una eadem epidemia reperitur, non raro variante aliquid exanthemate initio eius obveniente ab eo, quod in conspectum venit, ubi ad summum gradum advenit. Quam ob causam nonnullas de eodem descriptiones auctorum praestantissimorum referre necesse esse arbitror.

Ex auctoritate Schoenleinii[1]) quarto vel quinto morbi die primum ad faciem, deinde ad universum corpus erumpit, ut intra viginti ad viginti quatuor horas eruptio finita esse soleat. Ipsum supra cutis superficiem non

---

1) Krankheitsfamilie der Typhen. Nach den neuesten Vorlesungen niedergeschrieben und herausgegeben von einem seiner Zuhörer. Zürich 1840.

eminens ex parvis, solito subrotundis maculis, magnitudine lentem aequantibus, colore e purpureo in violaceum vel coerulescentem vergente, praeditis, pulicum morsibus non dissimilibus, quae maculae segregatae positae solent, atque etiamsi sibi vicinae eruperint, non nisi rarissime confluunt. Digito premente evanescentes illico colorem pristinum genuinum a medio ambitum versus (simili modo, quo maculae morbillosae) recuperant.

De peculiari typhi exanthemate Chomel[1]) haec refert: Constat ex parvis, rosaceis, rotundis maculis, ambitum lineae unius cum dimidia ad duas occupantibus, vix supra cutem prominentibus, hic et illic in abdomine segregatis, quandoque etiam ad pectus, rarius autem ad crura et brachia in propatulum venientibus, quas eo clariores conspicere licet, quo albidiorem cutis praebet colorem; apud homines, quorum cutis fusco similis est, non facile cognoscendae sunt. Quod eodem tempore omnibus corporis partibus non apparet, sed saepe, postquam parva copia per bidui vel tridui spatium visum est ad abdomen, repente maiori copia ad pectus, quandoque etiam ad crura, brachia, dorsum, rarissime vero ad faciem conspicitur. Temporis spatium, quod perstat, varium est; tunc enim, ubi nonnullos dies perstitit, evanescit, tunc autem duodecim dies et quae supersunt, conspici licet; quod si autem accidit, verisimile est, ut pluries eruptio secuta sit, quum quaeque macula tres quatuorve tantum dies et brevius adhuc temporis spatium visibilis maneat. Quo spatio praeterito omnino maculae evanescunt, rubore sensim sensimque pallescente. Eaedem paululum tantum supra cutem

1) Vorlesungen über die Symptome, den Verlauf, den Leichenbefund, das Wesen und die Behandlung der typhösen Krankheit oder der anhaltenden Fieber u. s. w. deutsch herausgegeben unter der Redaction des Dr. F. Behrend. S. 20.

prominentes formamque conicam offerentes ne vesiculam unquam in apice continent. In typhi decursu, idem autor protinus pergit, aliud adhuc exanthema obvenit, quod vero ei non tam peculiare est, quam illud modo memoratum, attamen ipsum hoc in morbo saepius quam alio conspicitur, cui nomen „sudamina" est. Hocce scilicet e vesiculis diametro lineae quadrantem partem ad dimidiam metientibus, in superficie nitentibus, tactu vero facile cognoscendis; digito nempe imposito in parte, ubi sedet, aspredinum multitudo parvarum sentitur, quae facile compressae rumpunt et liquorem, si adhuc recenter natae sunt, limpidum, ubi vero aliquot temporis spatium persteterunt, turbidum, effundunt. Quod exanthema apud plurimam affectorum multitudinem in utroque colli latere, ad vicinitatem fovearum axillarium regionumque inguinalium apparet, interdum etiam supra universum thoracem, immo vero artus inferiores superioresque, ne vero unquam supra faciem sese extendit. Ita Chomel.

Naumann[1]) exanthema discernit typhosum planum seu maculosum et papulosum. Primum, quod optime conspici licet, si symptomata catarrhalia vehementissime urgeant, constare solet e maculis plus minusve rotundis vel irregularibus omnino, raro aequalibus ad magnitudinem, ad ambitum lentem parvam aequantibus, supra cutem nunquam prominentibus, colore diverso modo tincto, tunc laete rubro, tunc fusco rubicundo praeditis, sub digito premente evanescentibus, cessante vero colorem genuinum statim recuperantibus. Quod ad calefactas potissimum vel vestimentis obtectas corporis partes, scilicet ad pectus, partes colli laterales, humeros, brachia, dorsum et crura erumpit et tres quatuorve dies persistens decimum versus

1) l. c. tom. IV. p. 145.

morbi diem evanescere solet. Quibus cum maculis descriptis saepissime parvae, rotundae, valde rubrae, laete purpureae aliae coniunctae obveniunt, quae si comprimuntur, omnino non evanescunt, atque frequentissime appropinquante stadio sic dicto nervoso, nec raro solae vel cum paucis tantum modo recensitarum macularum, si epidemiae typhosae ad summum altitudinem pervenerunt, conspiciuntur.

Secunda forma papulosa multo rarior illa prima obveniens in singulis tantum epidemiis observata est. Maculae huius plus minusve supra superficiem cutis prominent, ut tanquam aspredines tangantur. Quandoque clarius medium versus sunt acuminatae, quo casu vesicula minima liquorem limpidum continens efformatur. Non raro etiam fit, ut forma exanthematis plana cum singulis huiusce intermixta reperiatur.

Auctore ab Hildenbrandio exanthema (cui nomen purpurae typhosae impertit) consistit in maculis planis, plus minusve rotundis, inter se confluentibus, quoad figuram variegato marmori simillimis, purpureis, sub pressione evanescentibus, quibus persaepe papulae rubicundae, aut phlyctaenae albicantes intermiscentur, unde insignem cum rubeolis aut morbillis analogiam contrahit; quandoque una cum hocce exanthemate typhoso petechiae emicant, eo distinctae, quod parvae sugillationes subcutaneae sub digito premente nullatenus disparent.

Exanthemate erumpente et florente omnia symptomata primi stadii, nisi ordinarias vespertinas exacerbationes et remissiones matutinas, nec non leve molestiarum catarrhalium imprimis pectoralium decrementum, quod exanthematis eruptione induci solet, excipere velimus, eadem fere vehementia persistunt. Alii vero hoc tempore parotides, rarius alias glandulas, intumuisse et catarrhalia et cere-

bralia signa adhuc adaucta, alii vero eadem sedata, praecipue autem dolorem artuum dorsique circumvagantem adeo diminutum fuisse, ut aegri ab eo ferme liberi viderentur, alii eruptionem cum omnium symptomatum levamine exstitisse viderunt, quod tamen magis specie, quam re vera fuisse arbitror.

Ad stadium desquamationis.

§. III.

Sexta vel septima morbi die scarlatina desquamari incipit. Eodem fere ordine, quo exanthema prorupit, rubor cutis pallescit, dissipatur, et quamplurimum illico desquamatio cutis sequitur, vel rarius aliquot diebus post, rarissime vero hebdomade una vel duobus praeterlapsis, ergo tunc in omnibus corporis regionibus eo obtectis eodem paene tempore, tunc paullatim ab uno loco in alterum transmigrans. Epidermis in facie, trunco, per squamulas parvas, farinae instar, aliis locis, in artubus potissimum lacinias magnas, ita ut nonnunquam ex manibus pedibusque chirothecarum ad instar detrahi possit, cum pruritu et cute aliquantum humescente discedit. Plerisque etiam oris, linguae, faucium epithelium solvitur sub forma squamularum cinerescentium; quin imo in aliis membranis mucosis, uti intestinorum, vesicae, desquamatio sequitur. Barrachius[1])

---

1) Medicinische Jahrbücher des östreichischen Staats, herausgegeben von Ritter von Raimann u. s. w. Jahrgang 1841. Novemberheft. Autor hic egregie epidemiam scarlatinosam, Lembergi autumno 1838 et hieme 1839 grassantem describit, quae non modo charactere inflammatorio, sed etiam nervoso et putrido praedita fuit, omnem paene scarlatinae morborum posthumorum exercitum praebuit, variationes diversissimas inter decursum ostendit magnamque copiam affectorum e medio sustulit.

scilicet multis in casibus in inquirendo lotio scarlatina affectorum squamulas furfuris simillimas eo contentas, quae conspicue qualitatem epidermidis (epithelii) membranae mucosae manifestabant, immo vero magnas lacinias (Flatschen) membranosas seu pannos amplos invenit. Schmidtmann[1]) hac de re: neque vero solum, inquit, exanthema ad externam cutem terminatur, sed etiam cutis partium internarum non raro ab eo infestatur. Sic vidi, quod homini, qui pessime scarlatina mulctabatur, integra tunicae villosae intestinorum lacinia per alvum secederent. Quam saepe haec inventa essent, si medici lotiis et faecibus accurate perquirendis operam dedissent! Num etiam lotium turbidum cum sedimento albido, flocculoso, stadio desquamationis nonnunquam secretum, pro epithelii membranae mucosae vesicae urinariae pugnat? Interdum simul pili et ungues delabuntur et novi regenerantur, cuiusmodi casus Schmidtmann aliique viderunt. Quo uberius exanthema per corpus integrum divulgatum est, eo ampliores esse solent exuviae. Vehementia febris decrescit et vespere adhuc paululum conspicua ex pulsu frequenti et mediocriter aucto colore nosci potest, vel omnino tota evanescit. Hebdomade praeterita hoc stadium finitum esse solet; exanthemate vero valde evoluto ad duas vel tres nonnunquam septimanas producitur. Immo itentidem, autoribus testantibus, uno loco desquamatio fieri potest, levi febricula tunc denuo praecedente. Locum cutis desquamatae tam tenerrima et mollissima cuticula obtinet, ut attactum vix sine dolore perferre possit adeoque violationibus obnoxia sit, ut levissima aëris iniuria desquamationis impedimentum adducat et morbis secundariis infra nominandis occasionem det. Interdum fit, ut post des-

1) l. c. tom. IV. l. 268.

quamationem confectam revertantur maculae scarlatinosae, sed iam auctore Burserio eaedem pauciores minoresque esse solent, nullo graviori symptomate stipatae, ac inter mediocres sudores mox evanescunt. Processum desquamationis sudores vaporosi, secretiones lotii turbidi cum sedimento rubro vel albido praediti, leves alvi deiectiones et sputa mucosa, ubi viae aeriferae acrius irritatae sunt, concomitantur.

In rubeolis decima circiter ab incipienti morbo die desquamatio cutis cum sudoribus, lotio hypostatico, vel etiam emissione sanguinis e naribus subintrat. Eadem e medio cuiusvis maculae exit, et forma subrotunda, quasi stellata, terminatur; secedit solummodo cuticula, quae maculas tegit, nequaquam vero intermedia istis; epidermis in manibus pedibusque laciniarum forma decidit, quae tamen nunquam tam amplae, quam in scarlatina, ac tam parvae, quam in morbillis observantur.

Morbilli circa octavam morbi diem eo loco, quo primum eruperunt, ad frontem igitur, genas et palpebras pallescere incipiunt, quo tempore aliis corporis partibus adhuc florent. Eodem modo, quo evanescunt, cutis exasperatur et desquamatur, cutis tumescentia desinente, cuteque molli, humida facta. Desquamatio sub forma furfurum et squamularum, ne vero unquam per lacinias tam magnas, quam in scarlatina, sub magno cutis pruritu exstat. Quo prominentius fuit exanthema, eo evidentius desquamatur; qua de causa ad faciem largior quam aliis locis esse solet. Quodsi erat leve, paululum solummodo, vel, uti Vogel aliique observarunt, minime desquamari solet, quin molestiae remaneant. Desquamationem evacuationes criticae per sudorem copiosum, lotium, cui multum inest sedimenti, sputa tenacia, copiosa, et quandoque alvi secessus, productae comitantur, atque nunc sympto-

matis morbi magis magisque tacentibus et evanescentibus, functiones organorum morbo affectorum pristinae restituuntur. Hoc stadium quum per tres quatuorve dies durat, aeger circa duodecimam vel decimam quartam diem morbo omnino est deliberatus.

In typho res desquamationis alio modo, quam ceteris nominatis exanthematis se habet; statim enim post efflorescentiae stadium id desquamationis in his sequitur, in illo contra inter haec duo stadia aliud periculosissimum, septenarium totum durans subsequitur, quod ab auctoribus vulgo nervosum (quum systema nervosum eminenter patiatur) appellatur; quo praeterlapso stadium crisium apparet, quo primum cutis desquamari incipit, ita ut eodem modo in typho uti ceteris exanthematis criticae evacuationes cum desquamatione cutis simul proveniant. In illo sic dicto nervoso stadio, loco symptomatum catarrhalium siccitas linguae et membranae mucosae narium subintrat, nares atque dentes fuliginosi apparent, exanthema evanescit, cutis arida, rugosa, pergamenae haud absimilis evadit, solae petechiae, si quaedam iam prius adfuerint, persistunt. Aestus febrilis mirum in modum crescit, ut manui cutem tangenti calor mordax se offerat. Affectiones cephalicae antea nominatae intenduntur ac recentes superveniunt. Manuum, inquit P. Frank[1]), subsiliunt tendines hinc inde, aegrotans facie ruber, genis fere lividus, soporosus, morbi gravitatem vix internoscit, insomniis turbatur, et, si paucos excipiamus, delirat, aurium susurrus continui, aut gravis ad utrumque loquelae perceptio. Ab Hildenbrand[2]) de his haec egregia verba facit: Sensus externi hebescunt; sensorium commune internis lacessitur continuo impressionibus, unde delirium diversum,

1) Epitom. libr. I. p. 104.
2) Instit. libr. IV. p. 430.

gestus inconcinni, fixis ideis respondentes, inquietudo, iactatio, nisus lectum deserendi, crocidismus, carphologia, conscientia protinus sublata, inscitia omnium, quae contingunt, oblivio sui ipsius, quandoquo impetuosus voluntatis nisus; sub omnibus tamen hisce efficientiae cerebralis deflexionibus species temulentiae, stuporis attoniti ac somnolentiae continuo viget, unde peculiaris exsurgit delirii forma, cum somnambulismo haud inepte comparanda, quam typhomaniam nuncupamus.

Sub consuetis exacerbationibus vespertinis, quae imprimis die decima, undecima et decima tertia ad altiorem evehuntur gradum, hocce stadium explet cyclum septenarium, ut decima quarta criticae evacuationes utplurimum in propatulum veniant. Sicca antea superficies narium, linguae et faucium humescit, coagula indurata ex iis separantur, cutis arida mollescit, ac sudorem aequabilem, vaporosum, odoris peculiaris secernit, lotium bene fluens, sedimentum furfuraceum, albidum, vel rutillum deponit. Alvus eiicit faeces liquidas, pultaceas cum magno saepe aegrotorum solamine, haud raro suboritur recens fluxus sanguinis e naribus, simulque symptomata graviora cerebralia franguntur, disparent, ut aegroti a morbo superato in conditionem pristinam sanam magis magisque reducantur.

Desquamatio cutis sub forma furfurum, uti in morbillis, exoritur diversis locis diverso tempore, atque longius quam in ceteris supra recensitis exanthematis temporis spatium, ab una ad sex et quae supersunt, septimanas durat, quandoque uno loco, opinantibus scriptoribus nonnullis, pluries repetens. Rarissimum fit, ut cutis sub forma magnarum laciniarum, cuiusmodi casus ab Orsbach[1]) retulit, desquametur.

1) Generalbericht des königlichen rheinischen Medizinalcollegium für das Jahr 1834. Seite 59.

Crebrius quam in morbillis scarlatinaque capilli unguesque simul delabuntur, ut mox denuo reproducantur.

Ad Complicationes.

§. IV.

Scarlatina, morbilli, rubeolae, typhus diversissimis febrium speciebus coniuncti observari licet, quarum quaedam tam frequentes obveniunt, ut tanquam comitatores normales, e. g. febris catarrhalis in morbillis, febris rheumatica in scarlatina et typho a multis putentur. Quae his exceptis frequentissimae cum istis coniunctae inveniuntur, sunt hae:

1) Febris inflammatoria;

seu mera, quae vero, praecipue in typho in dubium vocari possit, seu quod quamplurimum evenit, inflammatione singulorum organorum producta. Qua in coniunctione remissiones febris normali decursu conspicue obvenientes vix animadvertuntur; exanthemata colore rubriore, normali praedita, irregulariter, raptim ociusque in conspectum veniunt, libenter confluunt, et notabilem tumescentiam partium iis affectarum cutis concitant, neque eruptione earum symptomata leniuntur, ac plerumque praecociter desquamantur. Pulsus durior, frequentior, fortior, cutis calidior, lotium rubrius parciusque, sitis vehementior, alvus adstrictior, quam normaliter inveniri solet.

Symptomata, quae iam vexant, vel levia tantum sentiuntur, si eorum decursus normalis apparet, pergrave et vehementer urgent; typho ergo affecti et morbillis, signis catarrhalibus gravissimis, scarlatina et rubeolis correpti, faucibus altissimo gradu dolentibus, tumentibus, ut facultas deglutiendi penitus saepe intercipiatur, cruciantur. Quam

complicationem morbillorum P. Frank[1]), Wittmann[2]), Thomassen a Thuessink[3]) multique alii viderunt et descripserunt; eandem typhi scarlatinaeque fere omnes ad unum, qui scarlatinam typhumque epidemice grassantes observarunt. Inflammationes locales in omnibus obvenientes sunt hae: meningitis et encephalitis, frequentissime observatae in scarlatina et typho, ita ut nonnulli, e. g. Marcus, huius naturam in encephalitide posuerint; inflammatio medullae spinalis tunicarumque eius, quamvis multo rarior illis; bronchitis, pneumonia, pleuritis, quae in omnibus quamplurimum observantur; laryngitis, tracheitis, oesophagitis in morbillis. Praeterea inflammationes organorum in cavitate abdominis sitorum, quae eveniunt potissimum in typho; quem saepe comitari solent: hepatitis, lienitis, gastritis, peritonitis, cystitis, enteritis, dothinenteritis; quae ultima vero non solum in eodem, sed etiam in scarlatina et morbillis invenitur. De hacce enim complicatione scarlatinae Stöber[4]) haec refert:

Une circonstance remarquable dans l'histoire de la scarlatine et de les maladies consécutives c'est la fréquence de l'alteration de plaques de Peyer. Dans les huit autopsies, que nous avons faites, quatre fois seulement ces organes ont été trouvés à l'état normal. L'altération, qu'on y observa dans les quatre autres cas, consistait surtout dans la tuméfaction de ces plaques; en outre, il y existait de nombreuses ulcérations superficielles dans un cas, et dans un autre toutes les plaques présentaient ce pointillé noir, qui les fait ressembler à une barbe fraî-

---

1) Epit. tom. III. p. 23.
2) Harless rheinische Jahrbücher V. Bd. Stück 3.
3) Abhandlung über die Masern und das schwefelsaure Chinin. p. 29.
4) Gazette medicale de Strasburg. 20. Avril. 1841.

chement coupée. Je n'ai jamais observé à la suite de la scarlatine l'altération dothinenterique, qu'on a appelée plaques dures, et qui se rencontre si frequemment dans l'affection typhoide cet.

De eadem coniunctione morbillorum Naumann[1]) haec verba facit: Vorzugsweise wichtig ist aber die die Masernkrankheit begleitende Darmverschwärung (dothinenteritis morbillosa). Sie kann in jedem Zeitraume entstehen, gesellt sich aber häufiger dem zweiten Zeitraume zu und ist besonders bei brennender Haut und hartnäckiger Verstopfung zu befürchten. Bei der Ausbildung dieser Darmaffection wird der Unterleib empfindlich und beginnt anzuschwellen, das Gesicht collabirt, der Puls wird kleiner und noch frequenter als bisher, die Schenkel werden an den Unterleib herangezogen; endlich erfolgen flüssige Darmausleerungen, die bei raschem Sinken der Kräfte bald einen colliquativen Charakter annehmen. Atque alio loco[2]) rationem, quare haec exoriatur, indicit idem auctor egregius. Praeterea cum scarlatina ex opinione Hinterbergerii[3]) inflammatio cordis, aortae, venarum cavarum coniuncta obvenit!

2) Cum febre gastrica.

Quae sub constitutione aestiva haud infrequens invenitur; hac in coniunctione praeter symptomata morbo exanthematico propria supra nominata, etiam signa colluviem gastricam indicantia cernuntur, qualia sunt. sapor vapidus, lingua albide obtecta, halitus foedissi-

---

1) c. c. p. 677.

2) c. c. p. 695.

3) Beobachtung über den Scharlach mit Entzündung des Rückenmarks, des Herzens, der Aorta, der Hohlader, von Joseph Hinterberger, k. k. Professor der Geburtshülfe, Operateur und Augenarzt. Lpz. 1833.

mus, ad vomendum proclivitas et propensum studium, fastidium edendi, interdum etiam ipse vomitus, dolor capitis obtusus, maxime in eius anticis partibus, dolor stupidus ac iniucundus sensus in scrobiculo cordis, praecipue illo impresso, (at sine ulla dolentia). P. Frank[1]) de hac coniunctione morbillorum haec: Frequenter, inquit, satis morbilli sub constitutione gastrica exorti, febrem, quae ex hac nomen suum assumit, ut variolae, ceteraque exanthemata faciunt, pro socia sibi elegunt ac eiusmodi legibus subiecti, illa ipsa symptomata, quae gastrica constituunt, offerre consuescunt.

Burserius[2]) de eadem complicatione alia est opinione, quam plurimi ceterorum autorum, haec verba faciens: Valentius vero agere convenit, si cum morbillis saburra primas vias praegravans complicetur, suique ablationem petat. In eam autem sic inquirere oportet, ut certo de eius praesentia constet. Nam lingua albicans, nausea, vomiturritiones, ponderis sensus in epigastrio, anxietas, quae alias saburrae gastricae indicia habentur, in hoc contagii sive efflorescentiae stadio sunt plane ambigua et fallacia; possunt quippe febris aliquanto vehementioris, et nervosae perturbationis a morbilloso veneno inductae effecta, et symptomata esse sine ulla cacochyliae gastricae culpa. Quo casu nemo non videt, linguae albidum colorem a febrili colore, nauseam, vomituritionem, et praecordiorum anxietatem et reliqua a solis ventriculi, duodeni diaphragmatisque spasmis proficisci, quod proprium omnino est omnium fere morborum exanthematicorum, in quibus pleraque ista, eruptione demum facta, id est causa eorum materiali ad cutem protrusa, cessare, atque evanescere consueverunt cet.

---

1) l. c. p. 240.

2) Instit. med. pract. tom. II. p. 117. §. 127.

Ab Hildenbrand[1]), quod attinet ad symptomata gastrica typhi in stadio ab ipso inflamatorio seu inflammatorio catarrhoso nominato, haec (si excipiamus gastricam fortuito subortam complicationem) cum catarrhoicis perpetuo quodammodo esse coniuncta contendit, ac verisimile nihil aliud, quam similem a perturbata secretione et absorptione exortam mucosam colluviem in tractu intestinorum, quae molestias in ventriculo, nauseam, vomitum, linguam albide obtectam, saporem corruptum, intestinique excretionem perturbatam aliaque provocet. Decursus febris hac in coniunctione plerumque lentior, exanthematis eruptio magis serotina, ipsumque solito pallidius esse solet. Alia anteriori coniunctio proxima est illa cum febre gastrico biliosa, praeter signa recensita gastrica aliis adhuc ex hepate originem ducentibus insignis, atque ex auctoritate scriptorum nonnullorum illa cum febre gastrico pituitosa.

3) Cum febre nervosa;

Hac in complicatione scarlatinae, morbillorum, rubeolarum tota morbi imago multis variisque modis cum illa typhi in stadio nervoso congruit, unde etiam hae coniunctiones morbilli typhosi, scarlatina typhosa a plurimis auctoribus appellantur; iam ante exanthematis eruptionem, magis vero adhuc postea aegri anxietudine et inquietudine vexantur, oculi splendore amisso vitrei quasi fiunt, vires collabuntur, succedunt capitis gravedo, mentis alienationes, sopor, deliria, nonnunquam convulsiones, sultus tendinum aliaque typho propria signa. Eruptio ipsius ordine et tempore non iusto, tunc citius, tunc serius quam solito apparet, ipsum est pallidum, inaequaliter dispersum et coloratum, quibusdam in locis disparet, in aliis denuo redit, fugacissimum omnino est, et facillime e quavis vel levis-

1) Ueber den ansteckenden Typhus. 2. Auflage. Wien 1815. S, 44.

sima causa reprimitur, eiusque eruptione quamplurimum symptomata non modo leniuntur, sed potius in peius ruunt; cutis licet calida, arida, parum turgida, nonnunquam in artubus frigida tactu, ubi aliis corporis partibus mordaci fervet aestu, pulsus variabilis, lotium pallidum, parcum. Excretiones criticae circa morbi finem imperfectae solent, unde persaepe morbi secundarii remanent, desquamatio cutis obsolete tardeque sequitur. Eadem conditione, qua symptomata sic dicta nervosa emicant, illa indolis morbi primitivae dissipantur.

In hac coniunctione typhi, quam plures autores statuunt, status nervosus, uti ab Hildenbrand ait, qui regulari typhi decursu nunquam ante septimum evolvatur diem, nimis praecox est et in altiorem evehit typhi gradum.

4) Cum febre putrida;

In hac signis in antecedente complicatione enumeratis, signa, quae dicunt dissolutionis sanguinis, accedunt: stillicidia seu profluvia sanguinis atri e naribus, rarius e pulmonibus, utero, recto; secretiones alvi profusae, valde debilitantes, sudores viscidi, maleolentes, nec levantes, maxima virium prostratio, facies hypocratica. Exanthema ipsum discolor apparet, coloris quamplurimum livescentis et petechiis vel vibicibus intermixtum, lotium in singulis casibus cruentum et atrum repertum, celeriter dissolvitur, ac odorem nauseosum, ammoniacalem spargit. In scarlatina rubeolisque angina celeriter saepissime in hac complicatione in gangraenam vertitur. Nonnunquam scarlatina, morbilli, praecipue vero typhus sub hac forma populariter grassantur ad summam perniciem, quod apud hunc maxime cernitur, si in nosocomiis, castris, navium tabulatis, urbibus obsessis debacchatur [1]).

---

1) Medicinische Geschichte der Belagerung und Einnahme der Festung Torgau und Schilderung der Epidemie, welche daselbst in

Alia morbillorum complicatio, scilicet cum angina membranacea, quam plures autores vidisse contendunt, adhuc memorandi digna videtur. De hac Montfalcon[1]) haecce: Dans le plus grand nombre des rougeoles, la membrane muqueuse du larynx est irritée plus ou moins fortement, ainsi que celle de la trachée-artere. Lorsque cette phlegmasie de l'organe de la voix est très-violente et produit une fausse membrane, quelquefois la rougeole est l'un de ses épiphénòmes. Ici, comme dans la plupart des autres cas, l'éruption cutanée, tantòt paraìt précéder, tantòt accompagner la maladie interne, et se développe ordinairement pendant son cours. Qnelquefois la rougeole parcourt régulièrement ses périodes, et l'inflammation de la membrane muqueu se dularynx se déclare pendant la desquamation de taches de la rougeole. M. Royer-Collard regarde la rougeole comme la plus fréquente et en mème temps la plus remarquable des complications dont le croup est susceptible. Cazenave et Schedel[2]) de eadem scarlatinae complicatione dicunt: Mais le croup, quoi que l'on en ait dit, est une complication rare de la scarlatine. M. M. Bitt et Bretonneau ne l'ont pas observé et M. Guersent n'en a vu qu'un exemple. Schoenlein[3]) hanc morbillorum coniunctionem in dubium vocat, dicens, in iisdem quidem laryngis affecti symptomata apparere, quae cum angina membranosa commutare liceat, quorum

---

den Jahren 1813—1814 herrschte, von Georg August Richter, königl. pr. Oberstabsarzt. In hac urbe, referente autore, a die XXIV m. Octobris anni 1813 usque ad diem X m. Januarii 1814 triginta millium Francogallorum mortuorum magna pars typho putrido ad inferos transmigrarunt.

1) Dictionaire des sciences medicales. tome quarante-neuvième. p. 189.

2) Abrégé pratique des maladies de la peau.

3) Vorlesungen II. p. 113.

vero causam in eruptione exanthematis in membrana mucosa laryngis esse contentam.

Ad scarlatinam, rubeolas, morbillos, typhum sine exanthemate.

§. V.

Omnes quatuor morbi exanthematici sine exanthemate quandoque existunt.

Saepe enim evenit, ut tempore, quo scarlatina populariter grassatur, in singulis casibus vel observante Heimio, etiam numerosis et infantes et aetate provectiores, omnibus symptomatis scarlatinam ab aliis morbis discernentibus, exanthemate excepto, quod non in conspectum venit, patiantur, ut igitur fauces vel mitius, vel gravius inflammentur, cutis arescat, pulsus frequentissimus sentiatur, peculiaris ille scarlatinae odor, quem supra retulimus, nec non demum desquamatio eidem propria, immo teste P. Frankio, affectiones hydropicae subsequantur. Eodem fere modo ex observationibus Heimii in rubeolis se habet. Simili modo in morbillis; quibus enim epidemice debacchantibus, nonnulli infantes frequenter tussiunt, sternutant, frigore cum colore alternante aliisque molestiis catarrhalibus tum bronchorum et narium, tum oculorum infestantur, quin tamen exanthema conspicere liceat, quibus molestiis desinentibus, epidermis nonnunquam sub forma furfurum quibusdam in locis decidit, atque convalescentes a nova morbillorum infectione plerumque muniti sunt. Simile quoque modo res in typho se habet. Quo tempore hic populariter saevit, singuli homines praeter lassitudinem totius corporis, capitis gravedinem ac temulentiam, appetitum ciborum diminutum seu deletum, et levia symptomata catarrhalia, febriculam

vespertinam de nihilo queruntur totumque morbum extra lectum degunt, exceptis nonnunquam ultimis diebus, quibus perturbationes criticae plerumque vehementiores exoriuntur, quibus perfectis, epidermis furfurum instar desquamatur. Haec deflexio morbi a consueto decursu, quae a plurimis autoribus typhus levissimus seu benignus, a Nasse v. cl. typhus simplex nominari solet[1]).

Ad exitus.

§. VI.

Morbi nominati exanthematici exeunt:

a) In conditionem pristinam sanam; quod solito fit, si regulariter decurrunt sub crisibus in stadio desquamationis iam recensitis.

b) In mortem:

Qui aut morbis istis complicatis, aut malis posthumis solito adducitur, quibus organorum vitae dignissimorum functionum perturbationes aut destructiones exoriuntur. In scarlatina ergo et rubeolis affertur mors quamplurimum inflammationibus cerebri membranarumque id tegentium indeque morbis originem ducentibus e. g. suppuratione, hydrocephalo. Suffocatione nonnunquam angina vehementissima producta. Praeterea parotidum tumoribus, quibus ex sententia auctorum plurium nervus vagus comprimitur, indeque paralysis pulmonum oritur, vel earum suppuratione et exulceratione, qua febris hectica adducitur.

1) Cf. Correspondenzblatt rheinischer und westfälischer Aerzte, 1. März 1842.

In morbillis potissimum adducit mortem suffocatio ex pneumonia vel bronchitide oriunda, nec non phthisis pulmonalis eos subsequens, quae aegrotis paullatim, sed tuto perniciem parat.

Frequentissimam mortis causam in typho praebet: apoplexia, mox mera nervosa, e viribus nervosis, uti ab Hildenbrand ait, malefico veluti adflatu contagioso obrutis et pessumdatis, oriunda, mox sanguinea, turgore vasorum cerebri earumque tunicarum inducta; mox serosa, seu effectus colluviei serosae in ventriculis cerebri vel ad basin cranii.

Praeterea inflammationes viscerum nobilium, pulmonum intestinorum earumque mala posthuma mortem adducunt. Multis opinantibus auctoribus mors etiam paratur apud quemque morborum quatuor dictorum debilitate virium, vel viribus exhaustis in iis quidem casibus, ubi cum febre nervosa vel putrida coniuncti inveniuntur.

Tabulam memoratu dignam sectionum in typho peremptis factaram affert Will. Davidson[1]). Cadavera scilicet eorum sexaginta tria studiose rimata in nosocomio Glascoviensi haecce praebuerunt:

Serum abnorme in cerebro	triginta quatuor
Bronchos rubefactos	viginti quinque
Satis magnum emollitumque lienem	quatuordecim
Hypertrophicum et pultaceum lienem	triginta
Unam ad tres glandulas Peyeri normalibus maiores	duodecim
Duas usque ad sex — — — —	quatuordecim
Sex et quae supersunt — — —	viginti duo
Singulas glandulas — — — —	quatuordecim

1) Zeitschrift für die gesammte Medicin von Fricke und Oppenheim. 18. Band 2. Heft p. 41.

Parvas normalibus maiores intestinorum glandulas duodecim
Exulcerationem intestinorum tredecim cadavera.

Gandulae meseraicae aequali fere modo dilatatae erant apud ulcera intestinorum, raro vero in aliis casibus.

c) In mala posthuma.

Quae in scarlatina praecipue observantur, sunt haecce:

a) Affectiones hydropicae, quae tam frequentes sunt, ut a nonnullis autoribus, e. g. Heistero, Plencizio secunda scarlatinae periodus nominatae sint. Eaedem raro ante desquamationis periodum, saepe saepius inter eandem, rarius toto iam desquamationis opere feliciter superato, obveniunt. Quod ad locum attinet, quo illae obveniunt, observantur: hydrops anasarca, hydrocephalus, hydrothorax, hydropericardium, hydrocele, hydrops ascites, qui secundum Barachii observationes rarissime solum, sed tantummodo exoritur, ubi iam in aliquo loco hydrops secutus est. Sententias Wendtii, secundum quas hydrocephalus eo magis exspectari liceat, quo evidentius exanthema scarlatinosum febrisque sit cum eo coniuncta, observationibus Barachius non confirmavit, quum eundem non minus in illis casibus, quibus scarlatina cum febre nervosa vel levissima inflammatoria coniuncta erat, observaret.

Quod attinet ad causas, idem autor discernit:

1) Affectiones hydropicas, quarum causa inest in inflammatione cutis externae.
2) Quae exoriuntur ex inflammatione specifica viarum uriniferarum.
3) Quae originem ducunt e diathesi inflammatoria membranarum serosarum cerebri et pectoris organorum.
4) Quae nascuntur e torpore cutis, vasorum lymphaticorum, atque ex debilitate totius vis vitalis.

b) Glandularum, imprimis parotidum tumores, suppurationes.

c) Auditus organi inflammatio, suppuratio. Haud raro pars petrosa ossis temporum usque ad cavitatem cranii carie destruitur, ut ossicula auditoria, uti van der Haar observavit plures casus, extrorsum eiiciantur, unde surditas exoritur, nec non membranarum cerebri ipsiusque inflammatio, suppuratio.

d) Variae, uti dicunt, systematis nervosi affectiones: asthma spasticum, Chorea St. Viti, epilepsia, paralysis singulorum organorum nonnunquam a medicis sunt observata.

e) Abscessus in partibus externis, nec non in faucibus, pharynge, larynge, unde phthisis.

Inter mala posthuma morbillorum tenet principitatum phthisis pulmonalis, fante ab Hildenbrandio, tanquam effectus bronchitidis morbillosae non resolutae, vel peripneumoniae secundariae, quam aegri desquamationis periodo ex improviso contrahunt, funestae metastaseos causa.

De eadem Andral [1]) haec egregia refert: Parmi les exanthèmes cutanés aigus, il en est un surtout à la suite duquel on voit assez fréquemment apparaître la phthisie pulmonaire; c'est la rougeole. On en concevra facilement la raison, si l'on réfléchit que dans la rougeole beaucoup plus, que dans la variole et dans la scarlatine les bronches sont le siège d'une vive inflammation. Celle-ci se manifeste constamment plusieurs jours avant que ne se montre l'exanthème; si célui-ci ne sort pas bien, comme l'on dit; si, après s'étre montré d'une manière

---

1) Clinique médicale ou choix d'observations recueillies à la clinique de M. Lerminier. Troisième partie. Paris 1826. p. 49.

partielle ou générale, et se flétrit prématurément la congestion sanguine, qui cesse d'avoir lieu à la périphérie du corps, devient souvent très-forte sur la membrane muqueuse des voies aeriennes, la bronchite prend une intensité de plus en plus grande, et après qu'elle s'est prolongée pendant un temps plus ou moins long, des symptômes de phthisie pulmonaire apparaissent. Chez d'autres malades la rougeole parcourt avec régularité ses periodes accoutumées; mais après qu'elle a disparu au bout de temps convenable, la bronchite, qui l'avait accompagnée dans son cours, ne disparaît pas avec elle; le poumon peut devenir le siége d'une assez forte congestion, pour qu'une abondante hémoptysie se déclare; et soit à la suite de cette simple bronchite indéfiniment prolongée, soit à la suite du crachement de sang, les poumons se remplissent de tubercules.

Richtero testante organorum respirationi famulantium difficultates interdum remanent per circuitus redeuntes, asthmati Millari simillimae, quae pulmonum paralysi aegros miserrime suffocant. Angina membranacea, observantibus Serlo [1]) aliisque. Tussis convulsiva, quae auctore Eisenmanno e turbata morbillorum crisi originem ducit.

Modo cum aliis morbis coniuncti, modo sine iisdem, inflammationes, suppurationes, tumores parotidum glandularumque submaxillarium.

Morbi oculorum tam libenter in morbillis, quam illi auditus organorum in scarlatina obveniunt oculisque periculum minitantur non infrequenter; cuiusmodi casum Tourtual [2]) observavit.

---

1) Hufelands Journal. LXII. 5. St. S. 96.
2) Eodem loc. LIII. 2. p. 78.

Diarrhoea nonnunquam ex ulceribus intestinorum originem ducens, saepe ad plures septimanas haud sine aegri discrimine post morbillorum fugam excurrens. Morbi cordis; hos pluries post morbillos superatos vidit Testa.

Aphtae in cavo oris, quae praecipue, si morbilli cum gastricismo vel febre gastrica complicati erant, observantur, ex quibus secundum Reilii observationes ulcera rodentia (phagedaenica) lata producuntur. Ulcus noma observantibus Hufelandio, Friedliebio [1]. Furunculi, quos, auctore Naumanno [2], tanquam crises incompletas, supplementarias putare licet.

Hydrocephalus, observante Krukenbergio [3] aliisque. Rarissimi autem sunt casus, ubi affectiones hydropicae in aliis locis sunt observatae.

Typhi mala secundaria, potissimum imperfecte resoluti, sunt:

Amaurosis, surditas, amentia, amnesia, exulcerationes in membrana mucosa bronchorum et intestinorum indeque exoriens phthisis; hypertrophia et induratio lienis, hepatis indeque affectiones hydropicae et digestio perturbata.

Suppurationes organorum durante morbo inflammatorum, uti cerebri, pulmonum, hepatis, intestinorum glandularum, potissimum parotidum.

Debilitas magna virium, paralysis singulorum nervorum motoriorum, nonnullis testantibus auctoribus.

Gangraena et sphacelus partium externarum, praecipue nasi, artuum inferiorum, partium genitalium.

Ipse vidi ante duos annos puerum pauperem tredecim annorum, cuius typho laborantis alterum totum crus, ex-

---

1) Diss. de morbillis per aestatem anni 1842 Bonnae epidemicis, p. 13.
2) L. c. p. 687.
3) Jahrbücher der ambulatorischen Klinik zu Halle. I. Bd. p. 323.

cepta parte superiore, in una nocte gangraena correptum est, quam deinde sphacelus eiusdem partis est secutus. Pater eius, sperans, fore ut pars demortua carne nova tegatur, quum medicis amputationem emortuae partis instituturis per plures menses recusasset, quo tempore ille puer miserrimus cum crure sphaceloso lecto tenebatur, iis tandem, ubi spes eum fefellit, eam instituere concessit. Amputatio facta est loco, quo partes emortuae cum vivis cohaerebant. Quo facto, puer sensim sensimque convaluit amissasque vires recuperavit. Postero tempore pars relicta tibiae et fibulae a natura est depulsa. Puer nunc adhuc vivit, et valetudine gaudet, idemque qui antea, testante patre, per duos annos ne litteram quidem unam, quamvis semper frequentaret scholam, disceret, nunc mentis capacior esse dicitur.

Iritis, quae ex observationibus ab Ammonis[1]) in fine et typhi et morbillorum et scarlatinae superatorum frequens obvenit.

Ad causas praedisponentes quasdam.

§. VII.

Nulla instat aetas, quae scarlatinae evolutionem penitus excludat. Proclivitas autem maxima est apud pueros et adolescentes, a septimo fere ad vigesimum annum; minor apud tenerrimos et adultos, minima apud lactantes senesque. In aliis epidemiis, Reilio observante, pueri tantum, in aliis aetate provectiores solum nonnunquam corripiuntur. Foetum utero inclusum scarlatinam subire posse, Tourtual observatione vindicavit; uxor

---

1) Journal für Chirurgie und Augenheilkunde. Herausgegeben von v. Walther und v. Ammon. 4. Heft. S. 475.

nempe, quae consuetudinem cum marito et filio scarlatina affectis habebat, eodem exanthemate infantem peperit obtectam. Eiusmodi exempla Ferrario[1]) Paviae plura observavit.

Idem vidit Asmus[2]).

Proclivitas ad novum morbi ingressum, morbo semel superato, in eodem corpore eluitur, unde homines vel per totam vitam scarlatinae, quamvis huic sese exponant, resistunt; attamen exempla non desunt hominum eandem bis perpessorum, testibus Neumanno, Bickero, Kramero[3]), quas observationes plures praestantissimi in arte viri P. Frank, Vogel, Stieglitz, vix credere videntur.

Morbillis infantes, pueri, adolescentes maxime obnoxii sunt; attamen, neque foetui in utero, neque senectuti parcunt. Casum illius generis retulit Hildanus[4]), quo gravida matrona morbillis correpta quarta morbi die puellum per totum corpus eodem exanthemate contaminatum peperit. Eiusmodi casus praeterea referunt G. S. Vogel[5]) et Michaelsen[6]). Casum huiusmodi Heimius[7]) refert; in hoc femina septuaginta annos nata morbillis est correpta. Contra sententiam plurium auctorum, qui contendunt, morbillos semel tantum durante vita invadere, organismum humanum ita permutantes, ut omnem in idem contagium suscipiendum amittat dispositionem, exempla multa et fide

---

1) Gemeinsame Zeitschrift für Geburtskunde. V. Band. 1. Heft.

2) Allgemeine medicinische Centralzeitung. XI. Jahrgang. 95. Stück.

3) Rust Magazin. XXV. Band. 3. Heft.

4) Observat. chirurgicae. Centaur. IV. hist. 56.

5) Handbuch. III. Band. S. 225.

6) Praktische Mittheilungen aus dem Gebiete der Medizin, Chirurgie und Pharmacie, herausgegeben von Pfaff, Prof. zu Kiel. Neue Folge 2. Jahrgang. 4. Heft.

7) Hufelands Journal. 1812. Stück 3.

dignissima a scriptoribus delata pugnant, e quibus altera et tertia vice eos vel in uno, vel diversis epidemiis homines perpessos esse constat. Observationes huiusmodi plures tempore longe praeterito factas transeuns, nonnullas solummodo novae aetatis referam. Gaedechens [1]) refert in epidemia morbillorum anno 1838 Hamburgi grassante plures infantes eosdem bis superasse.

Dyrsen [2]) hominem vidit, qui eos ter subivit.

Link et Mayor [3]) certos casus observasse contendunt, ubi bis eosdem homines invaserint.

John Webster [4]) in uno casu eos post temporis spatium duorum annorum, in altero imo vice tertia in eodem reversisse observavit.

Rittel [5]) in circulo Monheimio anno 1837 plures infantes observabat, qui sex, octo, decem, vel duodecim diebus post morbillos superatos denuo cephalaea, lacrymatione oculorum, sternutatione, destillatione, tussi, siccitate et ardore in collo, siti, conatu ad vomendum vexabantur; deinde post triginta sex ad quadraginta octo horas morbilli per totum corpus denuo apparuere, atque postquam tres, quatuor, vel quinque dies steterant, iterum evanuerunt. Desquamatio eorum, qui primum apparuerant, legitime facta est.

Ad typhum maxima est proclivitas in flore aetatis, ab anno circiter decimo tertio ad quadraginta annos, multo minor in senectute et prima aetate, ita ut non-

1) Fricke und Oppenheim. Zeitschrift 12. Band. 1. Heft.

2) Mittheilungen aus dem Archiv praktischer Aerzte zu Riga. Erste Sammlung. 1839.

3) Medizinisch-chirurgische Zeitung von Ehrhardt. 37. Ergänzungsband. S. 183.

4) Medico-Chirurgical transactions; Vol. XXII. oder 2. Series. Vol. IV.

5) Schmidt: Jahrbücher der In- und Ausländischen gesammten Litteratur. 34. Band. 1. Heft.

nulli in hac omnino typhum deesse confirment. Chomel typhum rarissimum obvenire ante decimum aetatis annum ac fortasse nunquam post superatos quinquaginta quinque annos contendit, quae vero sententia magna observationum copia reprobatur, quae docent, ante hoc tempus et post idem saepe offendi eundem. Qui typhum, maxime graviorem iam superarunt, ab eodem morbo per plures annos immunes vivunt, utut crebrae exponantur contagii suscipiendi occasioni, atque etiamsi denuo contagium suscipiant, levem plerumque patiuntur morbum. Frequentiores, tamen hoc intuitu, ut ait ab Hildenbrand, in typho contagioso, quam in aliis exanthematis occurrunt exceptiones.

Ad conditionem scarlatinae ceterorumque ad sese et alios morbos.

§. VIII.

Quamquam ab Hildenbrand, Schoenlein, Eisenmann aliique unum exanthema cum altero eodem tempore in eodem corpore existere, et iuxta sese decursum absolvere posse negant, attamen his dictis et sententiis multae fideque dignae observationes obstant, quibus elucet, duo exanthemata acuta uno eodemque tempore uni eidemque homini inhaerere posse, et quidem modo, quin se invicem coerceant, modo ut cohibeant, quin regulariter decurrant. Exempla huiusmodi, quae Bourel[1]) refert, transmittens nonnulla alia referamus. Hachmann et Behre[2]) in epidemia anno 1828 Hamburgi et Altonae grassante in quatuor casibus morbillos inter decursum vaccinarum erupisse,

---

1) Ej. diss. de mutua exanthematum complicatione. Bonnae 1829.

2) Mittheilungen aus dem Gebiete der gesammten Heilkunde, herausgegeben von einer medizinisch-chirurgischen Gesellschaft zu Hamburg. II. Bd. p. 3.

ac utrumque exanthema iuxta sese decursum absolvisse referunt.

Eiusmodi casus Friedlieb[1]) observavit. In eorum uno utrumque exanthematum regulariter decurrebat.

Sodoffsky[2]) morbillos et rubeolas in uno homine eodem tempore vidisse contendit.

Rumpelt[3]) connubium morbillorum cum scarlatina vidisse vult. De hoc autem casu ait Eisenmann: »Masern verdunsten Säure, Scharlach ein Alkaloid. Man mag daher bedenken, ob es möglich sei, 'dass ein und dasselbe Organ zu gleicher Zeit solche chemische Differenzen zu Tage fördern könne, wenn es auch bekannt ist, dass die Menschen zur bekannten Verwunderung jenes Satyrs warm und kalt aus demselben Munde blasen können.« Complicationem scarlatinae cum vaccina commemorat Fodéré[4]). Naumann etiam putat scarlatinam in casibus rarissime obvenientibus in eodem corpore iuxta morbillos existere posse.

Complicationem typhi cum aliis exanthematis, nemo huiusque, quantnm comperi, unquam vidit. Nonnulli autores contendere audent, ut quo tempore morbilli et scarlatina epidemice saeviant, typhus non videatur, et si hic in aliqua regione saeviat, illi non appareant. Observationes vero, secundum quas scarlatina, rubeolae ac morbilli eodem tempore iisdem regionibus sunt visi, non desunt.

Tusses convulsivae morbillos epidemicos undique libenter praecunt, aut eos insequuntur.

---

1) Ejus. diss. p. 21.

2) Ehrhardt, medizinisch-chirurgische Zeitung. 1840. IV. Bd. p. 30.

3) Heidelberger klinische Annalen. V. Bd. 1. Hft.

4) Leçons sur les epidemies et l'hygieine publiques. Paris 1824. tom. IV. p. 352.

Autenrieth[1]) pluries animadvertit in pagis circa Tubingam sitis, primum semper typhum grassatum, deinde tusses convulsivas, tum morbillos secutos, e quibus epidemiam scarlatinae formatam fuisse refert.

Ab Hildenbrand in praxi longa et magna nunquam aliquem tuberculis laborantem typho correptum vidit.

Davidson inter centum typho peremptos tres solummodo ac hos quidem parvis paucisque tantum affectos observavit tuberculis.

Quibusdam morbis malisque morbilli, scarlatina et typhus salutem ferunt. Dürr scilicet casum observavit, quo tumor cellulosus inter scarlatinae decursum evanuit. Hildenbrand pervicacissimam arthrocacem antibrachii, a variolarum metastasi relictam ac per triennium efficacissimis remediis renitentem, absoluto morbillorum cyclo radicitus persanatam fuisse, comperit.

Reussio teste molestiae morbique chronici, qui ante typhi infectionem vehementer vexabant, uti arthritis, ulcera herpetica, indurationes, affectiones hydropicae, quin imo mala e syphilide suborta per typhum superatum in sempiternum evanescunt. Aliis contra perniciem afferunt; nonnunquam enim observatum est, decursu morbillorum absoluto scrofulosos illis in hominibus prorupisse tumores, in quibus iam ante morbum huius labis favilla delituit.

Adumbratio similitudinum et dissimilitudinum scarlatinae ceteorumque.

§. IX.

Scarlatina, rubeolae et typhus in stadio irritationis, eruptionis et floritionis in eo praecipue similes sunt, quod

---

1) Tübinger Blätter für Naturwissenschaften und Arzneikunde von Autenrieth und Bohnenberger. T. 1. Tübingen 1815.

omnia signa aut febris rheumaticae, aut rheumatico-catarrhalis, aut modo catarrhalis prae se ferant, qua re differunt a morbillis, quos semper symptomata febris catarrhalis concomitantur. Scarlatina et rubeolae vero ab aliis hoc tempore maxime angina faucium, scarlatina praeterea calore cutis maximo, et lingua ruberrima, quam autem pluries Nasse v. cl. in typho quoque vidit, discrepant. Typhus ceteris dissimilis est praecipue symptomatis cerebrum affectum indicantibus, quae tamen etiam nonnunquam in scarlatina in conspectum veniunt. Quod ad exanthema attinet, in eo consentiunt scarlatina, rubeolae, typhus, quod ipsius formam et laevem et vesiculosam, quae autem multo rarior est, quam laevis, praebeant. Scarlatina cum morbillis congruit, quod nonnunquam formam his peculiarem, scilicet papulosam, offerat; discrepat vero ab aliis, quod adhuc formam bullosam habeat. Praeterea exanthemati typhoso et scarlatinoso commune est, quod omnino fugacissimum est utrumque. Dissident autem omnes quatuor exanthematis colore, ambitu, loco, ubi et quomodo sedet ipsum, ratione, qua erumpit, et qua ruborem pressu evanescentem recuperat.

Ad stadium desquamationis morbilli et typhus consentiunt hac re, quod sub forma furfurum, farinae instar, desquamentur, et dissentiunt a scarlatina et rubeolis, quod hae in maiores lacinias, et scarlatina quidem in multo ampliores, atque etiam in hac membranae mucosae desquamentur. In hac re autem omnes similes sunt, quod evacuationes criticae desquamationis periodum comitentur, et quo uberius exanthema apud eosdem divulgatum est, eo magis etiam desquamentur.

Ad complicationes, omnibus est magna similitudo; febris enim inflammatoria, gastrica, nervosa, putrida cum iis coniunctae obveniunt, atque inflammationes etiam lo-

cales, nonnullis exceptis, apud eorum quemque paene eaedem apparent; nam bronchitis, pneumonia, enteritis, dothinenteritis, encephalitis, parameningitis cerebralis et in scarlatina et morbillis et typho observantur (quod p. 21. ostensum est). Insignem praeterea similitudinem ostendunt, quod unusquisque morborum exanthematicorum dictorum sine exanthemate apparere possit (quod supra p. 27. est descriptum).

Quod ad exitum eorum attinet, in eo congruunt, quod aut in conditionem sanam pristinam sub crisibus in omnibus fere aequalibus, aut in mala posthuma, quae in scarlatina et rubeolis praecipue sunt affectiones hydropicae, in morbillis phthisis pulmonalis, in typho morbi cerebri et organorum, durante morbo inflammatorum, potissimum parotidum, quae vero ceteris etiam communes sunt, aut in mortem, cuius ratio apud scarlatinam, typhum, in cerebro ipsiusque tunicis morbo affectis, apud morbillos in pulmonibus maxime est quaerenda, transeant.

Ad causas praedisponentes similes apparent ea re, quod omnem aetatem omnes infestare possint, dissimiles vero, quod typhus virilem, scarlatina et rubeolae puerilem et iuvenilem, morbilli infantilem puerilemque aetatem maxime corripiat. Praeterea hac in re similes inveniuntur, quod plus, quam semel eosdem homines infestare queant (quod observationes in §. VII. relatae demonstrant).

Praeter haec scarlatina, rubeolae, morbilli in eo similes apparent, quod inter sese coniungere et decursum absolvere possint; iidem et typhus, quod quibusdam morbis malisque salutem afferant, quosdam contra in conditionem deteriorem adducant.

VITA.

Natus sum H. W. Tilgen, Heideae, in Circulo Neoviedensi, patre Ludovico Tilgen, medico, matre Timothea, e gente Limbach, quos adhuc viventes veneror. Fidem profiteor catholicam. Litterarum elementis imbutus, primum Gymnasium, quod Monasterii Eifliae per duos annos, tum quod Marcoduri per annos duos et dimidium, deinde quod Aquisgrani floret, per annum unum cum dimidio frequentavi. Inde cum testimonio maturitatis demissus, d. VI. m. Novembris MDCCCXXXVII a Welckero v. cl. t. t. Rectore Magnifico, in civium, numerum Regiae Litterarum Universitatis Rhenanae susceptus, nomen dedi apud Decanum Harless, t. t. gratiosae facultatis medicae spectatissimum.

Doctrinae, quibus operam dedi per quinquennium, hae sunt: Logice, psychologia apud cl. van Calker; physice experimentalis ap. cl. Pluecker; mineralogia ap. cl. Noeggerath; zoologia ap. cl. Goldfuss; chemia, phytochemia et zoochemia ap. cl. Bischof; botanice ap. cl. Treviranum; anatomia generalis et specialis ap. cl. Mayer et Weber, qui etiam in cadaveribus dissecandis duces mihi fuere; situs viscerum, de operationibus in cadaveribus instituendis ap. cl. Weber; physiologia, de evolutione pulli gallinacei in ovo ap. cl. Mayer; encyclopaedia et methodologia artis medicae, pathologia generalis, semiotice, pathologia et therapia morborum chronicorum ap. cl. Naumann; materia medica ap. cl. Albers; pharmacologia et ars formulas medicas concinnandi, medicina forensis, de epizootiis ap. cl. Bischoff; materia medica, toxicologia, Lucretii de rerum natura, politia medica ap. cl. Harless; ars obstetricia, historia eiusdem, doctrina de instrumentis obstetriciis, de morbis puerorum ap. cl. Kilian; chirurgia generalis et specialis, akiurgia, anatomia chirurgica, ophthalmiatrice, selecta clinices chirurgicae capita, de fasciis applicandis ap. cl. Wutzer; anthropologia, physiologia, de educatione medici, therapia generalis, pathologia et therapia specialis, ap. cl. Nasse. In exercitationibus practicis duces mihi fuere: In clinico propaedeutico et therapeutico cl. Nasse; in clinico chirurgico et ophthalmiatrico cl. Wutzer; in exercitationibus ad phantoma et clinico obstetricio cl. Kilian.

Chirurgi militaris voluntarii munere in septima equitum cohorte per annum duce Dr. Kallmann functus sum.

Quibus omnibus viris optime de me meritis maximas, quas possum, gratias ago semperque habebo.

THESES.

1. *Ammonium carbonicum praestantissimum est remedium in stadio tertio (transsudationis) morbi Whytlii.*
2. *Effectus aquae frigidae multis in morbis saluberrimi nullo alio medicamine produci possunt.*
3. *Typhus est morbus exanthematicus.*
4. *Morbus intestinorum non est radix et truncus, uti dicunt, typhi.*
5. *Rubeolae sunt morbus exanthematicus sui generis.*
6. *Venaesectio per phlebotomum elatere instructum et per lanceolam est praeferenda.*
7. *Methodus Wutzeri hernias inguinales externas quae reponi possunt per invaginatorium curandi est optima.*
8. *Applicatio forcipis obstetriciae periculosissima est vitae infantis.*
9. *Sarcoptes hominis non scabiem facit, sed scabiem comitatur.*